UNIVERSIS ET SINGULIS In quacunque dignitate, civili Ecclesiastica sive militari, Ubivis gentium constitutis, ad quorum notitiam presentes Literæ pervenerint, NOS Præfectus, Consules Reliquusque Senatus Civitatis Aberdonensis, in Septentrionali parte Regni Magnæ Britanniæ, Salutem in Domino Sempiternam. Quum Veritati non adesse nostri esse sit officii, sine fuco aut fallacia candide et ex animo testificamur, Quod quo die datæ sunt hæ Literæ coram nobis pro tribunali, ad Jus dicendum causasque audiendas, Sedentibus, apparuit Nobilis Vir Robertus Turner de Turnerhall, qui humiliter petiit et rogavit, ut qua pollemus authoritate tam popularibus quam exteris, quod res est testificaremur Nobilem Joannem Gordon hoc tempore Kozeliec in Regno Poloniæ, et Palatinatu Pomerelliæ commorantem Qui Mense Junii Anno Millesimo Septingentesimo, Annum tunc decimum quintum Agens in exteras profectus est Regiones, Nobili stemmate et Illustri prosapia Oriundum, et Nobilibus Parentibus Legitimo thoro susceptus Legitime prognatum esse, Cujus petitione tam æquæ pro officii ratione, deesse non potuimus. Itaque ut innotescat Nos non temere aut ex aspiratione sed diligenti prius Scrutinio desuper Negotio instituto, præsens Diploma indulsisse in Judicium vocavimus eximiæ Notæ et summæ apud nos authoritatis provectæ ætatis Nobiles Viros quorum egregia Virtus Spectataque Probitas fidem facere facile poterant, Viz. Joannem Gordon de Nethermuir, Jacobum Elphinston de Warthill, et Alexandrum Gordon de Coldwells Qui sollenni interposito Juramento elatis Dexteris sanctissime confirmarunt ut fidem [illegible] testati sunt præfatum Nobilem Joannem Gordon Filium esse Legitimum Nobilis Viri Alexandri Gordon de Coldwells in parochia de Ellon, in Comitatu Aberdonensi ex Nobili Fæmina Christina Gordon ejus Conjuge, Dictum vero Nobilem Alexandrum Gordon præfati Nobilis Joannis Patrem Filium fuisse Legitimum Nobilis Viri Joannis Gordon de Coldwells, nunc vita defuncti dicti Nobilis Joannis Gordon avi paterni ex Nobili Fæmina Marjoria Cheyn ejus Conjuge, Dictumque Nobilem Joannem Gordon Filium fuisse legitimum Nobilis Jacobi Gordon filii Domini de Hethermuire ex filia nobilissimi Comitis de Aberdeen, dicti Nobilis Joannis proavi paterni, ex nobili Fæmina Catharina Gordon Legitima ejus Conjuge, Dictamque nobilem Marjoriam Cheyn Filiam fuisse Legitimam demortui Nobilis Gualteri Cheyn de Arnadge ex Nobili Fæmina Margareta Gordon Legitima ipsius Conjuge, Dictam vero Nobilem Christinam Gordon præfati Joannis Matrem, Filiam fuisse Legitimam defuncti Nobilis Alexandri Gordon de Kingoodie, Dicti Nobilis Joannis avi Materni ex Nobili Fæmina Marjoria Seaton Legitima ipsius Conjuge præfati Nobilis Joannis Gordon Avia Materna, Dictumque Nobilem Alexandrum Gordon Filium fuisse Legitimum Nobilis Georgii Gordon de Shilagreen nunc vita defuncti dicti Nobilis Joannis proavi materni ex nobili Fæmina Marjoria Gordon ejus Legitima Sponsa præfati Nobilis Joannis proavia Materna, Dictamque Nobilem Marjoriam Seaton præfati Joannis Aviam Maternam Filiam fuisse Legitimam demortui Gulielmi Seaton de Newwork, et Nobili Fæmina Margareta Ogilvie Legitima ipsius Conjuge, Filia legitima Nobilis Viri Joannis Ogilbie de Newgrange, Fratris Germani Nobilissimi Comitis de Airly Nominatosque Omnes Præfati Nobilis Joannis Gordon Majores ex testibus supra dictis, constat nullo thalami probro aut degeneris Labis suspicione laborasse, Sed sub honestissimo Matrimonii Vinculo Vitas suas transegisse illibatas. Quæ cum ita sint Omnes et Singulos apud quos prædictum Nobilem Joannem Gordon versari contigerit, rogatos precupimus, ut illum Nobili Stemmate et illustri prosapia Oriundum, et ex Parentibus Legitimo thoro susceptis, Legitime prognatum esse intelligant, Ei pro innata sibi humanitate ingenuæ Virtutis studio cum omni qua par est benevolentia accepturi [illegible] tum dirigere terminum non graventur, quam gratiam non minus quam in singulos hujus Civitatis collatam et cum fænore [illegible] quantum in nobis est referre unam et [illegible] apud nos perennaturam unanimes sponderemus, Et ut hinc Testimonio nostro ita semper [illegible] maneat Fides Secretarii nostri Autographo nostro omnium Nomine signatum, appenso Civitatis nostræ Sigillo Muniendum curavimus. Datum Aberdoniæ vigesimo septimo die Mensis Junii Millesimo Septingentesimo decimo septimo Et Regni Supremi Domini nostri Georgii, Dei gratia magnæ Britanniæ Franciæ et Hiberniæ Regis Fidei Defensoris Anno tertio 1717


Thomson Secretarius



Ad Oblationem Mgci Jacobi Lipinski Pincernæ Podlachiæ est in Acta præsentia Terrestria Derschavienia Feria Secunda post Festum S. Lucæ Evangelistæ proxima Anno Domini 1760 inductum et ingrossatum.

A. Ryben V.R.T.P.P. mpp.


sigillum


Dypl. 562